

1571

reddebant; quamvis ad onerarias naves, aliaque graviora navigia, quod aqua minus profunda sit, sustinenda parum aptus sit. Ejus fauces crassiori quadraginta passuum catena clauderentur. Arx antiquo extructa opere, quaternis distincta turribus, portui imminere, totamque stationem protegebat. Ab eo latere, quod a navalibus usque ad Amathi portam pertinet, trium passuum millium planities terreo atque arenoso fundo explicabatur, hortis pulcherrimis, atque amoenis conspicua, qui malis medicis, citriis, omnique fructuum genere referti, aquis summo artificio per tubos e puteis sublatis, irrigui, mira jucunditate intuentium oculos, animosque mulcebant. Moenia satis firma ex quadrato lapide oppidum praecingebant: qua in continentem despectus, aggeres passuum duodecim, loricae pedum viginti latitudine munitae, ex quibus ad tegendos propugnatores in quatuor pedum altitudinem murus tollebatur. Fossa fere omnis ex topheo excisa lapide, quindecim, vel minimum duodecim lata passuum, qua parte opposita moenibus erat, ubi saxum defecerat, lapide incrustabatur. Moenia ipsa variis distincta turribus, ex quibus tamen, ob arcae angustiam, minutis tantum tormentis hostes offendi poterant. Ab Amathi porta usque ad navalia quatuor tantum reliquis majores, dimidiatae lunae instar inspiciebantur. Harum prima prope portam sita, Sanctae Nappae; secunda Andrutia; tertia Divae Barbarae, quarta navalium dicebatur. Earum minus licet idoneae ad hostium repellendos impetus censerentur, attamen quod fornicato opere confectae essent, & utrinque egressus, unde se milites ejicerent, patebant, reliquis tutiores videbantur. Unum tantummodo ab Hercule Martinen- gio, dum militiae in insula praefecturam gereret, ex recentibus praecipis propugnaculum fuerat excitatum, duplici latere, firmo aggere, inferiori parte fornicata, frontibus in sexaginta quinque passuum longitudinem expositis, a quo moenia utrinque protegebantur, ut egregio artificio extructum nostris tutissimo munimento futurum esse crederetur,

Haec nimirum, licet spectantium oculis praevalidae, ac munitissimae urbis speciem ostentarent; attamen cum multa, quae ad perfectam muniendarum urbium rationem pertinent, desiderarentur, ad Turcarum impetum terra, marique sustinendum